


in Iudææ terminis ad Aquilonem fuerit, necesse est iuxta Libanum, vel Antilibanum fuisse.  
 ZIPH, Iosue 15.  $\psi$ . 24. civitas in tribu Iuda inter Iethnam & Telem. Advertit Nicol. sanf. quasi unica tantum foret civitas *Iethnam Ziph*, ut sic condistingatur contra *Ziph* simpliciter.  
 ZIPH, Iosue 15.  $\psi$ . 55. locus in tribu Iuda, qui 1. Reg. 23.  $\psi$ . 14. dicitur mons solitudinis *Ziph*; & eodem cap.  $\psi$ . 15. dicitur desertum *Ziph in silva*; & sæpius desertum *Ziph* legitur.  
 ZIPHÆI, 1. Reg. 23.  $\psi$ . 19. incolæ deserti *Ziph*.  
 ZOGORA, LXX. Ierem. 48.  $\psi$ . 34. eadem cum Segor.  
 ZOHELETH, 3. Reg. 1.  $\psi$ . 9. locus ad Orientem montis

Sion, iuxta hortos regio, ubi elandestina inauguratione conatus est Adonias in regnum surrepere.  
 ZOMZOMMIM, Deut. 2.  $\psi$ . 20. & 21. Gigantum nomen, qui olim Ammonitarum regionem possederunt, quos Ammonitæ expulerunt, in eorumque locum successerunt. Gen. 14.  $\psi$ . 5. *Zuzim* appellantur  
 ZOOB, LXX. Num. 21.  $\psi$ . 14. in Hebræo est  $\text{זוב}$  *Vahab*, pro quo in versione nostra habetur, *sicut fecit*. Sunt qui cum LXX. nomen loci esse volunt; alii ad locorum nomina propria nil pertinere præterdunt.  
 ZUZIM, Gen. 14.  $\psi$ . 5. iidem cum *Zomzommim*; siquidem nomen utrumque est affine, & coniunguntur *Emim*, qui & ipsi in regione Moabitarum confederant; &c.



T A B U L Æ  
 C H R O N O L O G I Æ S A C R Æ

VETERIS AC NOVI TESTAMENTI,

Ex facris præcipuè libris depromptæ.

M O N I T U M.

Mundum supponimus fuisse conditum sub finem anni Periodi Iuliana 710. posito nimirum in autumno creationis initio. At quoniam cum vespera primi diei septimana, primus seculi dies est inchoatus, feriam primam qua illo anno ad autumnale æquinoctium proximè accessit, in 23. Octobris nostri diem incurrisse obfervavimus; atque adeo à vespera illum Iuliani anni diem antecedente, primum temporis momentum est deducendum. Sic fit ut à vespera illa primum mundi diem incipiente, ad mediam noctem primum Æra Christiane diem inchoantem, anni fluxerint 4003, dies 70. & hora temporaria 6. Verusque Christi natalis quadriennio toto, (quod ex annis regni Herodis & eius morte colligitur) vulgari arâ Christianâ anterior sit. Iuxta has enim quas sequimur rationes, Salomonici Templi structura 3000. anno mundi absoluta est, & anno 4000. Christus, cuius Templum figura fuit, primum hominibus manifestatus est. Unde ad annos æra vulgaris 4. additis, & ab annis ante eandem totidem detractis, pro communi & vulgata, vera & germana obtinebitur natiuitatis Epocha.

Ut autem quævis hebdomada septem diebus evolvitur, ex quorum revolutione tota absolvuntur sacula; Sic totum illud temporis spatium de quo diximus, commodè in septem ætates distribui posse putavimus, quibus absolutis futura est octava illa, in Sanctorum beatitudine, numquam finem habitura, quam etiam CHRISTUS præsignavit, qui octavo, hoc est septimum proximè sequenti die, resurgere voluit. Illa autem ætates, ut uno intuitu quivis perspicere possit, sic breviter hac apposita tabellâ describentur.

		Annos	Menfes	Dies		
Ætas mundi	I II III IV V VI	comprehendit	1656	1	26	A Creatione ad Diluvium.
			426	4	18	A Diluvio ad vocationem Abrahami.
			430	0	0	Ab illa vocatione ad Exodum.
			479	0	17	Ab Exodo ad iacta Templi fundamenta.
			475	11	29	A fundatione Templi ad finem captivitatis.
			131	7	3	A libertate donata per Cyrum, ad Christum natum.
Summa			3599	2	3	

Ætas autem VII. quæ à Christo nato anno 4000. incipit, indefinita est.

Atque hæc sunt ætates 7. in quas sequentes Tabulas nostras Chronologicas distribuimus, quarum methodus facilis: siquidem columna suis singulis nominibus superpositis signata sunt, & res è regione apposta ita sibi invicem respondent, ut sine labore deprehendi atque inter se componi possint. Exempli gratiâ, si in annum incidere cui mors Adami assignatur, invenio non solum quot annos ille vixerit, sed etiam quot annis cum singulis Patriarchis superstes fuerit: item cui anno Mundi & Periodi Iuliana, singuli illi anni respondeant, & quot annis æram præcedant Christianam. Idemque de ceteris omnibus esto iudicium.

Annos verò mundi singulos continenter ubique annumerandos minimè duximus, quod & longum foret & minus necessarium: sed si quid quibusdam adscribendum fuit, illos apposuimus, mediis libenter omisis. Annis etiam Urbis vel Olympiadum aut Nabonassari, paginas singulas onerandas non censuimus; quibus non adeo frequens in sermone vulgari iam usus est; & quos qui volet, ex eorum Epochis suis locis diligenter hic adscriptis, facile deducere potest. Unum enim nobis præcipuè propositum fuit, ut studeremus brevitati. Fruere igitur, Lector, & si plura voles, non pigeat integram nostram adire CHRONOLOGIAM, (hæc reperitur ad calcem editionis Bibliæ Parisiis apud Antonium Vitre anno 1662.) ubi non solum plura invenies, sed etiam quæ hic leviter tantum & quasi digito monstrantur, ibi solidis rationibus atque auctoritatibus passim firmata reperies.